



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. II. Sitne esse Dei de essentia eius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

modo sapientes Christiani philosophi poterunt habere fidem huius veritatis, si illius habent euidenciam.

20. Ad primum respondeo primo, non negasse veritatem hanc demonstratam, nisi qui attente illius demonstrationem considerare noluerunt, aut non potuerunt: vel ex defectu doctrine, & ingenij, vel ex aliqua nimia cupiditate, qua presertim obsecantur Politici nostri temporis, qui in Atheismum declinant. Secundo dicimus non omnem demonstrationem esse aequae facilem, & notam, aliqua enim est vera demonstratio quia, quae de se intellectum bene dispositum conuincit: non est tamen tam clara, quin proteruis possit resistere, semper tamen hoc prouenit ex aliqua caecitate mentis nolentis considerare vim praemissarum, vel illationis. Vnde Nazianz. orat. 2. Theol. *Nimus (inquit) absurdus, & propositus est, qui non cedit argumentis naturalibus, & inspicitur Deum esse.*

21. Ad alteram partem respondeo sic. Ad secundum respondemus primo, ideo Deum prouidisse, ut homines fidem potius, quam naturali discursu ambularent, quia ille infirmus est, & non potest omnibus esse communis. Secundo dico, si fingamus homines in pura natura sine fidei reuelatione, necessarium fuisse, ut vulgus hominum ignorantium, & simplicium crederet, suis maioribus, quod in hac veritate esset facillimum, & conueniens, facile quidem, quia licet non posset omnibus res esse perfecte nota, tamen ipsa veritas proposita cum aliquali declaratione ex effectibus notissimis, est per se credibilis, ac valde probabilis, conueniens autem esset, quia in re tam graui non expediret vnumquemque de populo duci suo solo iudicio, & apparenti verisimilitudine, oporteret ergo sapientibus, & maioribus fidem habere. Talis autem fides remoteretur in certa assertione aliorum, quae non posset esse ita certa, nisi esset etiam euidentis.

22. De tertia obiectione non est hic dicendi locus. Breuiter ergo dico, certitudinem fidei esse maiorem, quam sit certitudo genita ex demonstratione, quod Deus sit, & ex hac parte potest philosophus Christianus, per fidem credere Deum esse firmitus, quam per suam scientiam. Non eliciendo vnum actum, qui habeat euidentiam scientiae, & certitudinem fidei (ut quidam dicunt, id enim impossibile est, cum illae proprietates sint diuersorum ordinum naturalis, & supernaturalis, & sint ex diuersis motiuis, quae sufficient ad actus speciei diuersos) sed eliciendo actus plures, quorum vnus liber est quoad specificationem, alter necessarius, vnus euidentis, alius obscurus ex ratione sua, quia illa maior certitudo non ex claritate est, sed ex motiui obscuro, accedente voluntate. Et ideo vnus manet semper actus scientiae naturalis, alter vero actus supernaturalis fidei, siue actus illi possint simul exerceri, siue tantum diuersis temporibus, quod ad praesens nihil refert.

CAPVT II.

An esse Dei sit de essentia Dei.

23. Vponimus, esse impossibile, hominem in hac vita mortali vel omnino extra visionem claram Dei ipsum quidditariue cognoscere. Vt libro secundo latius ostendemus. Multo ergo impossibilis hoc est homini per solam rationem naturalem, aut per solam fidem Deum cognoscere, quia ratio naturalis non attingit omnem perfectionem Dei, nec formare potest conceptum Dei, prout est in se, fides autem obscure proponit Deum & sub velamine creaturarum, & ideo dicitur eius cognitio esse per speculum, & in aenigmate, non prout Deus in se est. Hinc ergo fit, ut vix possit homo describere aut eloqui, quid Deus sit, quia minus potest homo explicare quam concipere, ac mente satis concipere, non po-

test, quid Deus sit, multo ergo minus verbis id poterit explicare. Sic dixit Dionys. capite 7. de Diuin. nomin. Veraciter dicimus nos Deum non ex natura cognoscere. Et Nazianz. orat. 2. de Theol. non posse Dei naturam mente comprehendere, aut verbis explicari, vt Dam. l. 1. c. 2. *Quid Dei essentia sit, nec scimus, nec dicere possumus, & c. 4. Quod Deus sit, si quid constat, quid autem ratione essentiae, naturaque sit, nullo modo cognosci potest.*

2. Quamuis autem hoc ita sit, necessarium nobis est, aliquo modo explicare Dei essentiam, & naturam, vt possimus illum ab alijs rebus distinguere, & singularitatem aliquam eius conceptum formare, ratione cuius ei singularis veneratio debetur: ac denique, vt eius proprietates, & perfectiones, quatenus aliquo modo innotescere possunt, explicare valeamus. Primum autem, quod de Deo nobis notificatur, est esse, vt ex iusticiis suae naturalis constat, & in ipsa fide significauit Paulus, cum dixit, *Accidentem ad Deum oportet credere, quia est.* Et ideo ante omnia explicandum est, quomodo ipsum esse ad Dei essentiam, vel quidditatem comparetur.

3. Duo autem certa sunt in fide. Vnum est non distinguere, in re ipsa ab essentia Dei, propter Dei simplicitatem, vt infra videbimus. Aliud est, esse non conuenire Deo aliunde, quam ex sua essentia. Nam cap. praecedent. ostensum est, Deum non habere ab alio, quod existat, ergo necesse est, vt id habeat ex vi suae essentiae & naturae, & hoc intendunt Patres ibi citati, & Iud. l. 7. Ery. c. 1. & Aug. 5. de Trinit. cap. 2. *vbi recte intelligit ex illo testimonio Exod. 3. Ego sum, qui sum.* Exod. 3. Qua si diceret Deus, non posse melius suam naturam explicare, quam per ipsum esse, atque adeo habere suum esse ex natura sua, & cum illa idem esse, & non esse aliud, nec aliunde.

4. Nihilominus dubitant Scholastici, an formaliter sit esse Dei essentia, seu de eius essentia. Quia illa duo priora interdum inueniri possunt sine hoc postremo Paternitas enim est idem cum essentia Diuina, & non aliunde conuenit Deo, quam ex vi suae essentiae, & nihilominus non est proprie ac formaliter de essentia eius. Sic ergo dixerunt aliqui esse non esse de essentia Dei, etiam si sit idem cum illa, & non aliunde, quam ex illa, per quandam quasi resultantiam secundum rationem, cum fundamento virtuali in re. Potestque hoc suaderi, quia esse etiam in Deo concipitur a nobis, vt actus essentiae, & comparatur ad illam sicut abstractum ad concretum, nam licet essentia ipsa etiam concipiatur, & significetur abstracte, mens tamen nostra, quae indiuisibilia diuidit, ab vno abstracto aliam maiorem abstractionem facit, vt in relatione praescindit, & abstrahit, esse ad, ab esse in, & ab albedine abstrahit albedineitatem, (vt quidam loquuntur.) Sic ergo, ab essentia Dei, vt existente abstrahit esse, seu existentiam, ergo necesse est, vt ratione saltem distinguantur, ergo secundum praecisionem rationis non est esse de essentia illius essentiae, sed actus eius, ergo simpliciter non est de essentia. Tum quia, quod est de essentia nec secundum rationem praescindi potest, ab ipsa essentia. Tum etiam, quia oportet illa duo ita distinguere, vt vnum in altero non includatur secundum rationem, alias non possunt, vt concretum, & abstractum comparari. Tandem confirmatur a simili, nam eadem est ratio de existentia, & subsistentia, sed subsistentia non est de essentia diuinitatis, ergo nec existentia.

5. Quaestionem hanc tractavi fusc in primo tomo 3. part. disputat. 11. sect. 1. vbi dixi, Diuinam existentiam proprie, ac formaliter esse de essentia Dei, seu ipsam existentiam Dei. Quam assertionem nunc etiam omnino veram, & veritati fidei maxime consentaneam iudico. Quia vero ibi ex scriptura, & variis illam satis confirmari, nunc sufficit expende-

STARE
D.V.

re nomen Dei, *Qui est*, ad hoc confirmandum. Quia nomina sapienter imposita solent propriam rei naturam maxime declarare, cum ergo Deus ab ipsa existentia sibi nomen imposuerit, argumentum est, illud esse maxime essentiale. Ita fere D. Thom. i. contra gent. cap. 22. Præterea vnam, vel aliam rationem vigebo, licet in alibi dictis omnia contineantur. Diuinum ergo esse nullo modo comparari potest ad essentiam Dei, tanquam actum ab aliqua causa extrinseca illi collatum, sicut in creaturis comparatur: hæc enim est prima differentia inter diuinum esse, & esse creatum, propter quam Deus per analogiam, & principalitatem quandam nominatur, *Qui est*, de omnibus autem alijs rebus scriptum est Isaia quadragesimo, esse coram eo, *quasi non sint*, sufficienterque probatur hæc proprietates diuini esse ex dictis in præcedenti capite. Rursus non potest existentia conuenire diuinæ essentia, vt resultans ex illa, vel secundum rem, vel secundum rationem, ergo debet conuenire tanquam omnino de essentia, seu essentialiter constituens ipsam Diuinitatem. Consequentia euidens est à sufficienti partium enumeratione.

D Thom.
Ratio concl.

Isai. 40.

6.

Antecedens autem quoad priorem partem certum est esse diuina simplicitate, & perfectione, vt in sequentibus generatim ostendemus. Et patet facile, quia resultantia vera, & realis non est sine aliqua reali causalitate ad efficientiam pertinente, quam intra Deum cogitare nefas est. Adde, quod si nec secundum rationem potest hic esse talis resultantia, multo minus esse poterit secundum rem. Probarur ergo altera pars, quia vt aliquid intelligatur ab altero resultare, oportet intelligi, vt aliquo modo ratione prius, & vt sic esse etiam prius in ratione entis actualis, implicat autem contradictionem hoc modo concipere diuinam essentiam respectu suæ existentia, ergo. Maior patet, quia eo ipso, quod intelligitur aliquid, vt resultans ab alio, concipitur vnum, vt radix alterius, & sub ea ratione, vt prius. Resultantia autem non potest esse nisi ab ente actuali, & existente in rerum natura, & ideo eo ipso, quod aliquid intelligitur tanquam resultans ab alio, illud, à quo resultare intelligitur, percipitur vt actualis entitas, quia ab eo, quod nondum concipitur vt ens actu, non potest concipi aliquid dimanare, quod res vera sit res actualis, vt in præsentia est esse diuinum. Nam licet illa dimanatio concipiatur secundum rationem, tamen res illa, quæ illo modo concipitur, realis est, & ideo concipi non potest, vt manans nisi ab ente reali, & actuali. Quod autem repugnet, hoc modo concipere diuinam essentiam respectu sui esse, probatur aperte, quia si essentia illa concipitur, vt actualis entitas, iam concipitur, vt includens esse in rerum natura. Repugnat ergo concipere esse diuinæ naturæ, vt fluens à natura diuina, ergo oportet illud concipere, vt inclusum essentialiter in ipsa, seu quod perinde est, vt constituens ipsam in ratione talis essentia, quod est esse de essentia eius.

7.
Altera ratio.

Atque hinc sumitur altera ratio, quia implicat concipere diuinam naturam, vt potentialem, seu per modum entis in potentia, sicut intelliguntur essentia creaturarum, ergo signum est, includere in sua essentiali constitutione ipsum esse actuale suum. Consequentia inde constat, quia vnaquæque essentia concipi potest sine eo, quod sibi essentialiter non est saltem abstractione præcisiua. Antecedens vero patet ex dictis, quia diuina natura concipi non potest, vt ens in potentia passiuæ, vt per se notum est, quia nihil in re recipit verè, ac realiter, cum nihil habere possit à quo in re distinguatur. Nec etiam habet à quo recipiat, præsertim ipsum esse, quia nec ab alio, cum ipsa sit ante omnia, nec à se, cum esse a-

ctuale sit etiam primum omnium, cuiuslibet diminutionis ad intra, quomodo cumque cogitur, vt ostensum est. Neque etiam concipi potest diuina natura, vt in potentia obiectiua, quomodo proprie dicitur essentia creaturæ esse in potentia, vt abstracte ab actuali existentia. Quod in diuina natura non habet locum, nam hæc potentia obiectiua dicitur respectu alicuius efficientis, seu producentis, diuina autem natura factibilis non est, nec producibilis, neque vt talis, concipi potest, alias non concipitur diuina natura, ergo nec potest concipi, vt entitas in potentia obiectiua, solum ergo concipi potest, vt entitas actualis, ac proinde, vt essentialiter habens ipsum esse.

8.

Ex dictis ergo satis constat, non posse ita comparari esse ad essentiam Dei, sicut nunc comparatur Paternitas ad Diuinam naturam, de qua Paternitate verissime dicitur, esse in re indistinctam ab illa natura, & immediate, intimè, ac per se esse illi coniunctam, & nihilominus non esse de essentia illius naturæ, & secundum rationem concipi tanquam fluens ab illa, vt infra in tractatu de Trinitate ostendetur, ac declarabitur. Ratio vero differentia est, quia Paternitas non constituit illam naturam in sua entitate actuali. Vnde concipi potest illa natura in re ipsa actu existens præcisa tali relatione, & vt prior illa. Imo potest illa natura secundum totam suam essentiam esse in aliqua persona, in qua non fit Paternitas, quod locum non habet in ipso esse actualis existentia talis naturæ. Vnde etiam constat illud esse naturæ diuinæ non posse esse nisi absolutum quid, ac proinde essentiale, vt latius in dicto tomo 1.3. part. tractauit.

9.

Ad aliam rationem responderetur, ex conceptione nostra per modum abstracti, & concreti, vel cum præcisione quoad expressum modum concipiendi vnus sub vna ratione, & non sub alia, non sequi, quod re ipsa vnum non sit de essentia alterius, vel quod non includatur in essentia illius. Nam Deus, & Deitas se habent, vt abstractum, & concretum, & tamen in re nihil includit vnum, quod non includit aliud, sed distinguuntur tantum ratione, ex modo concipiendi nostro, nam per vnum modum concipitur expresse vt subsistens in tali natura, per alium tantum sub ratione naturæ. Sic ergo se habent esse, & essentia, nam sub conceptu essentia concipitur sub ratione naturæ non potentialis, sed actualis, sub ratione autem ipsius esse concipitur, vt actus tantum, non quidem vt actus actuans aliud, sed vt actus simplex, qui per se actus quidam est, vnde si conciperentur hæc, vt diuina, & prout in se sunt, nullum esset in eis fundamentum, ad formandos hos conceptus: tamen, quia in creaturis hæc inueniuntur aliquo modo distincta, & nos concipimus diuina instar eorum, quæ in nobis sunt, ideo illos diuersos conceptus formamus in modo concipiendi distinctos, non vero, quia aliquid in conceptu obiectiuo vnus includatur, quod non includitur in alio.

10.

Vltima ratio

Vltima confirmatio postulabat quæstionem aliam de diuino esse, an ex propria absoluta ratione sit tantum existentia, vel sit etiam perse existentia, & illa ratione subsistentia, ita vt non minus sit essentialis Deo talis subsistentia, quam existentia. Idemque posset de Diuino supposito queri, sicut tractatur à D. Thom. i. p. q. 3. art. 3. Veruntamè, quia hoc spectat proprie ad mysterium Trinitatis, quod consistit in tribus suppositis increatis eiusdem diuinæ naturæ, & modus subsistendi illius naturæ essentialis non potest satis explicari sine personali, ideo hæc omnia in vltimū tractatum huius partis referuamus. De distinctione autem naturæ, & suppositi, vel esse, & essentia in creaturis, quod solet hoc loco

co

Cap. 3. Quale esse sit de essentia Dei.

eo à Theologis tractari, in proprio loco Metaphysicæ disputatum à nobis est.

CAPVT III.

An essentia Dei consistat in solo esse, vel quid proprie Deus sit?

Videntur interdum sacri Theologi, ita constituere essentiam Dei in ipso esse, vt nihil addendum putent per modum affirmationis, ad explicandum, concipiendum, & nostro modo describendum, quid Deus sit, sed solam negationem esse addendam, quam explicamus, cum dicimus, esse non ab alio, vel esse à se, vel (quod perinde est) esse per essentiam. Hoc videtur posse sumi ex Diuo Thoma 1. p. qu. 13. artic. 11. vbi ait, ipsum esse magis proprie tribui Deo, quam quodlibet aliud prædicatum: & quo illud est magis determinatum, eo magis definire ab eo, quod Deus est, ideoque ipsum esse indefinite, & abstracte sumptum magis proprie explicare essentiam Dei. Adducique in eam sententiam Damasc. libro primo capit. 12. dicentem, ex omnibus nominibus significantibus Deum propriissimum esse nomen *Qui est*. *Vniuersum enim* (inquit) *id quod est tanquam unumsum quoddam, & insinuum essentia pelagus complexus suo continet*. Sic etiam Hieronymus, in id ad Ephes. 3. ex quo omnis Paternitas, &c. ait, Deum vtriusque sibi esse tanquam proprium, quia solus ipse à se esse, Aug. vero 12. de Ciuitate, cap. 2. ait, illo verbo declaratam esse, in Deo esse summam essentiam, quæ est ipsum esse, non participatum ab alio. Ac denique Bernar. lib. 5. de confide. cap. 6. ait, si interrogas de Deo *quis est?* non occurrit melius. *Qui est*. *Nempe hoc est ei esse quod hæc omnia esse, si & ceterum talia addas non recessisti ab esse, si ea dixeris nihil addidisti: si non dixeris nihil minuisisti*. Denique hoc est, quod Dionysius dixit cap. 2. & 5. de diuini nom. *Deum in vna existentia omnia præhabere*.

D. Thom.

Damas.

Hieron.

Aug.

Bernard.

Dionys.

2.

Philos.

Vera, & antiquissima est doctrina hæc, sed illam captui nostro magis accommodare necesse est. Nos enim ipsum esse, vel quod perinde est, quod est, seu est. Vno modo concipimus vt abstractum quoddam ab omnibus, quæ quouis modo habent esse commune illis saltem secundum analogiam. Vnde non possumus dicere in illo solo esse, vt sic concepto, & in rerum natura posito secundum illam præcisionem, consistere totam essentiam Dei, nec solam perfectionem essendi ad illam spectare. Vt si intelligeremus, naturam animalis, sicut præcise concipitur, ita præcise existere in rerum natura, non propterea intelligeremus, ibi esse totam perfectionem animalis, nec aliquam determinatam naturam eius. Non potest ergo ita concipi diuinum esse, imo nec illi esse sic abstracto accommodari potest illa negatio à se, seu non ab alio, quia esse sic conceptum abstractum à creato, & increato, & ideo illud esse vt sic præcise conceptum, non potest habere, vt sit à se, sed oportet, vt hoc habeat in aliqua propria, & positua ratione, & perfectione essendi, secundum quam habet, quod non sit ab alio. Necessarium ergo est alio modo concipere, Deum esse ipsum esse per essentiam: quia scilicet est quoddam esse proprium & singulare, quod ex natura sua propria & particulari habet non solum formalitatem essendi, vt sic dicam, sed etiam exercitium, & actualitatem essendi, quam vocamus existentiam in actu exercito. Hoc ergo modo concepto esse Dei, recte dicitur, in solo illo consistere essentiam Dei, & per negationem illam describitur, quod est proprium talis existentia, nimirum, vt in simplicissima ratione sua includat omnem perfectionem essendi, & consequenter omnem omnino perfectionem. Quia omnis perfectio est (vt sic dicam) pars aliqua essendi, quam ini-

pso esse per essentiam contineri necesse est, vt recte dixit Diuus Thomas prim. par. quæst. 4. ar. 2. & aliis locis.

9

D Thom.

Vt autem hæc ipsa Dei essentia, & quidditas magis distincte aliquo modo à nobis concipiatur, animaduerto, tribus modis posse nos communem aliquam rationem ad proprium Dei conceptum accommodare. Primo per negationes aliquas, vt in negatione essendi ab alio declaratum est. At licet hic modus censeatur à Dionysio aptior, & securior, ad cognoscendum Deum, & de illo loquendum, in hac vita: nihilominus quando illa negatio additur secundum communissimam rationem entis, vel esse, & amplius non explicatur, valde confusus manet conceptus, obscurissimusque relinquitur ad penetrandum, quomodo per illam negationem circumscribatur tota perfectio essendi, vel essentia Dei, vel quid sit illud posituum sub illa negatione latens, quod totam illam perfectionem includit. Est ergo secundus modus concipiendi Deum relatiuus, in ordine ad creaturas, vt quando concipitur sub ratione creatoris, actu, vel potentia, vel motoris, aut alia simili. Et hæc via est optima ad cognoscendum Deum esse, seu necessitatem essendi Dei, tamen ad explicandum quod sit Deus, nisi adiunctis aliis principijs, minus sufficiens inuenitur. Tertia igitur ratio explicandi essentiam Dei, est per conuenientiam saltem analogam ad creaturas, addendo semper negationem, vel comparationem, qua declaretur non esse rationem illam in Deo, eo modo, quo in creatura est, sed longe excellentiori modo accommodato ipsi esse per essentiam. Et hic modus, qui cæteros quodam modo comprehendit videtur aptissimus ad explicandum, quid Deus sit, per aliquam notionem Dei. Hoc videtur per se clarum, tum ex dictis, quia hic modus sumit ex aliis modis, quod conueniens est, & addit aliquid. Tum etiam, quia hic est naturalis homini, quia homo ex cognitione confusa, & generali peruenire solet ad particularem, & distinctam cognitionem, pro vt potest. Quod ipso vsu clarius constabit ex sequentibus assertionibus.

3. Anim ad. uo. fo.

Dico ergo primo. Esse diuinum substantiale est, & in eo genere completum essentialiter. Vnde diuina essentia natura substantialis completa est, Deusque ipse essentialiter est substantia completa. Tota assertio quoad rem per illam explicatam de fide est, & euidenter ratione naturali. Hoc posterius in dicta disputatione 29. Metaphysicæ ostensum est. Illud vero prius traditur in cap. Firmiter, & cap. Damascenus, de Summa Trinit. & fid. cath. Constatque tam aperte ex modo, quo scriptura loquitur de Deo, eiusque excellentia super omnia creata, vt necessarium non sit, particularia testimonia proferre. Non potest enim Deus esse primum ens, & primum principium omnium, & creator omnium substantiarum nisi ipse sit substantia. Nisi velimus, illum vocare substantiam, vt Dionysius & alij Patres interdum loquuntur. Non quidem, quod vera, & propriissima substantia non sit, sed ad explicandum esse aliorum modo substantiam, & non habere eas imperfectiones, à quibus videtur substantia nomen desumptum, scilicet, à substando. Deus enim proprie non substat, vel accidentibus, vel alicui rei à se aliquo modo distinctæ, sicut substat potest omnis substantia creata. Tamen hæc imperfectio non pertinet formaliter ad rationem substantia, licet forte ad etymologiam vocis pertineat. Sed substantia dicitur ens, quod ita per se est, vt non indigeat sustentari ab aliquo subiecto. Vnde euidenter est, primum ens non posse esse accidens, nam accidens semper supponit aliquod ens, in quo sustentetur, vt notauit d. disp. 29. sect. 1. num. 39. Est ergo Deus substantia, quod autem completa sit, æque certum est, alias non esset substantia

4. Const.

Dionys. 2. 2. c. 7. de diuin. nomi. c. 5. de Myst. Theolog. Damasc. lib. 1. cap. 4. Boet. lib. de Trin. Aug. 1. de Trinit. cap. 10.

STARE
IN
DOMO
D. N. I.
C. O. N. T. E. N. T. I. A.
P. R. O. P. R. I. A.

D. N. I.